

que vox tercio sic elocuta: 'Veni, veni, veni, et suscipiet te dextera mea'. Postea in festo penthecostes¹ ipsa eadem soror eius vidit in visione arborem pulcherrimam secus maius altare fratrum diversis floribus ornata et copiosis fructibus dilatata, ad cuius aspectum valde delectabatur. Que cum angelum Domini, qui ei astabat, interrogaret, quam significationem hec arbor, quam viderat, haberet, dixit ei: 'Fratrem tuum hec arbor significat; diversi flores et maturi fructus et viriditas foliorum eius sunt diverse virtutes eius et sana doctrina, qua multos fideliter erudiet; hortare eum, ut seculo abrenunciet, quia eum Dominus in suum familiare ministerium ad multorum edificationem elegit'. Que cum timeret tale aliquid ei referre, quia sciebat eum ab infanzia delicate educatum, distulit aliquamdiu ei hanc revelationem intimare. Non post longum tempus angelus Domini severo aspectu eam intuens dixit: 'Quare non hortaris fratrem tuum, pro quo devotissimas orationes ad Dominum effudis (!), ut abrenunciet seculo'? Cui illa respondit: 'Timeo, Domine, ne rigorem regule nostre in ieiuniis et vigiliis et in abstinenciis possit sustinere'. Et ille respondit: 'Noli timere, quia ego in his omnibus eius ero promptus adiutor'. Ipsa uno² in hoc verbo confortata, cum ei de hac re mentionem faceret, vidit in spiritu angelum Domini prope eum assistentem et exhortantem eum ad hanc ipsam abrenunciationem. Qui statim per voluntatem Domini sermonibus eius acquiescens adeo constantem assensum prebuit, ut non semel postea ad deliberationem se converteret, quid potius foret eligendum, scilicet utrum in clero permaneret vel potius monastice professionis novitatem arriperet. Reversus itaque Bunnam, ut de rebus suis ordinaret, familiaribus suis, quos sincero semper affectu dilexerat, secretum propositi sui detexit. Quo cognito et admirantes tanti viri subitam mutationem, considerantes, qualis in clero fuisset et esse posset, ignorantes vero et timentes, qualis in monastica vita futurus esset, suadere ei ceperunt, ut in via certa et bona, quam ingressus fuisset et quam novisset, securus curreret et ignotum vivendi genus non attemptaret. Ipse vero constanter in suo proposito perseverans, nulla ratione se ab hac intencione avelli posse respondit. Quibus auditis considerantes etiam verbum a Domino exisse, nichil ultra adicere temptaverunt. Et ipse omnia, que huic erant mutacioni congrua, acceleravit et cum multa hilaritate conversacionem et habitum priorem abiciens nove vite austeritatem ingredi non pertimuit. In predicto igitur monasterio Sconaugie professionem fecit sub abbate sancte conversacionis domino Hildelino, sub cuius etiam provisione et regimine sanctimoniales erant, inter quas predicta virgo sancta Elisabeth, soror eiusdem beati viri, Domino famulabatur.

1) 15. Mai. 2) Lies 'vero'. W.